



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 16. Cardinalis Borromæus in Etruria de Pontificis morbo certior factus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

§. XVI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1565.

*Cardinalis Borromæus in Etruria
de Pontificis morbo certior
factus.*

Postquam Pius IV, diuturno morbo confectus erat, edito hoc diploma-
te ferme ad singula momenta viribus deficere videbatur, auctisque hyemis rigore malis ante hujus anni auspicia in tam gravi mortis periculo verfabatur, ut Carolus Borromæus omni, qua potuit, celeritate Romam contendere cogeretur, qui morbum omnino periculosum esse Medicorum testimonio edoctus, ad Patruī sui lectum propius accessit, eique vitæ suæ finem proximum fore annuntians porrecta Crucifixi imagine his verbis eum alloquebatur: „Beatissime Pater, omnes tuas cogitationes ad cœlum dirige, totamque tuam spem in illum repone, qui vita, & resurrectio nostra est; nam hic idem noster est Advocatus, & sacrificium pro peccatis nostris oblatum, nec ullum, qui confidit in illo, ac finire peccata sua confitetur, despicit; quippe pius est, patiens, & misericordiarum plenus, neque unquam a facie sua cor contritum, & humiliatum projicit. Postea Papam rogabat, ut res-
dua

*Giuffan. c. 12
Rayn. n. 27.
Thuan. l. 38.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1565.

„dua vitæ suæ momenta unice in salutem animæ suæ impendat, seque ita sancte disponat, ut coram Deo com- parere possit. „ Borromæus semper agonizanti Papæ, donec tandem animam suam Deo redderet, adfuit, eidemque sacrum Viaticum ipse administravit: adfuit quoque felici huic morti sanctus Philippus Neri.

§. XVII.

Pii IV. Papæ obitus.

Ciacon. .871
883.
Rayn.n.38. Denique Pius IV. Pontifex exspirabat, hæc senis Simeonis verba pronuntians: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Erat obitus sui dies a contracto morbo octavus, ac noctu, quæ inter octavam, & nonam Decembris diem intercedit, contigit, dum ætatis suæ annum expleverat sexagesimum sextum cum octo mensibus, novemque diebus. Corpus ejus in Vaticana Ecclesia lateritio tumulo repositum est: anno autem Salvatoris nostri millesimo quingentesimo octogesimo tertio ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Angelis translatum in monumento marmoreo ante Altare majus reconditum fuit.

§. XVIII.

Conclave pro eligendo Pontifice.

Eadem